MÉXICO

MISCELANEA

ALMA

PRÆDICATORUM GUATIMALANA FAMILIA

(SUIS COMITIIS PROVINCIALIBUS CONGREGATA)

HAS THESES

DE POTESTATE, ET DE REGIMINE ECCLESIASTICO

SUO PRÆSULI SACRANDAS

PRO POSSE PROPUGNARE POLLICETUR

XVIII DIE MENS. JANUAR.

ANN. DOMN. MDCCCXVIII.

1843

1818

V. H. T.

IN AMPLISSIMO TEMPLO GUATIM. EJUSD. ORD.

TIPIS DABAT AREVALO.

Propugnator aderit.

Fr. Antonius Garcia Toledáno, Can. Cath. Moderator.

Sub Auxilio sui Magist.

Fr. Josephi Andreæ à Sta. Maria, Præsent, E. S, et Stud. Reg. P.



Casaus
ARCH. GUAT.
PENSIS
EPISC.
CHIAP-
VERAPACE
EPISC.
COMAIAG.
EPISC.
FR. RAYMUNDUS CASAUS ET TORRES
…us meus: Electus ex millibus. Cant. C. 5. Filius honorabilis mihi Jer. C. 31.

Illmo. ac Rmo.

D. D. E. M.

D. F. RAYMUNDO FRANC.

CASAUS, ET TORRES DE

LASPLAZAS,

D. E. S. S. A. G.

ARCHIEPISCOPO GUATEMALANO

&c. &c. &c.

HAS THESES

D. O. F. C.

PROVINCIA DOMINICANA DE

GUATEMALA.

FIET UNUM OVILE, ET UNUS PASTOR

Joan. cap. 10. v. 16.

1. NOmina, quibus Ecclesia in Scriptura designatur, evertunt commentum puffendorfii de Collegio Sociali.

2. Voces enim: regnum, civitas, Principatus, quibus in Scriptura Ecclesia describitur, nomina sunt, non Collegii, sed status.

3. Qua propter non est ambigendum, Christum Dominum ei tradidisse jura spiritualia Majestatis.

4. Est ergo Ecclesia: *Status quidam spiritualis, omnibus suis numeris absolutus, nec alterius subjectus potestati.* (a)

5. Unde in se ipsa habet, quidquid auctoritatis exigitur, ad suum finem consequendum.

6. Quid sit finis, ad quem Ecclesia suas omnes curas debeat intendere, Apostolus declarat, cum Titum docebat: *Christum Dominum in mundum Venisse, ut mundaret sibi populum acceptabilem*: Salus ergo animarum, est scopus, in quem Ecclesiæ potestas collimare debet.

7. Ad salutem animarum precipuè spectant: fides, sacramenta, mores; Unde quidquid necessarium per se est ad hæc sarta tecta conservanda. Sub ejus Potestate cadit.

8. Ipsius ergo partes sunt: depositum fidei integré servare, regulas, quibus sacramenta fructuosè ministrentur, et recipiantur, prescribere, regnum virtutis promovére, ac scandala de regno Dei èvellere, et eradicáre.

9. Et;

(a) cap. Duo sunt. Dist. 96.

9. Et; quia ad animarum salutem non sufficit Christi oves pabulo sanæ Doctrinæ páscere, nisi etiam á noxis retrahantur: ipsius est libros malæ doctrinæ interdicere, eosque è manibus fidelium eripere, et si maluerit, concremare.

10. Nan tamen denegandum supremis sæculi Potestatibus hanc facultatem; sed tunc cum Dogmata, jam ab Ecclesia damnata, continent, vel civilem statum evertunt: sin autem judicium Ecclesiæ spectare debent.

11. Unde non probamus, quod comitia nostra nationalia Laicos constituerent Judices in hac parte: Scriptum est enim in Prophetis. (a) *Labia Sacerdotis Custodiunt Scientiam, et Legem requirent de ore ejus.*

12. Verumtamen (quia inimicus homo numquam desinit superseminare Zizaniam) non sufficit ad puritatem Religionis conservandam libros noxiæ lectionis prohibere; nisi in corruptores sanæ doctrinæ inquiratur.

13. Tale munus semper Episcoporum fuit. Ad hoc eorum visitationes potissimé intendebant.

14. Sed summæ insaniæ est, hanc facultatem Summo Pontifici denegare: Audiant suam legislationem, qui nomine Hispano gloriantur. (b) *El apoder (de Romano Pontifice loquitur.)*

15. *El apoder otro si de facer establecimientos, à honrra de la Iglesia è apro de la Christiandad en las cosas Espirituales, è deben ser tenidos de los guardar todos los Christianos:*

16. Un-

(a) Malac. cap. 2. v. 7. (b) Part. 1. tit. 5. Leg. 5.

16. Unde qui Tribunal Santæ Inquisitionis everterunt, non solum Sumo Christi Vicario injuri fuerunt, sed etiam in suam legislationem peccaverunt.

17. Salus Reipublicæ est optima legislatio: quapropter inter jura Majestatis enumeratur Potestas condendi leges:

18. Christus Dominus circa actus exteriores religionis non alia præcepta nobis dedit, quam ea, quæ erant ad salutem simpliciter necessaria: cætera autem Præsulibus Ecclesiæ reliquit ordinanda:

19. Hac potestate usi sunt Apostoli, hac ejus Succesores, hac denique Ecclesia ad hæc usque tempora tota retro antiquitate:

20. Unde qui totam autoritatem Ecclesiæ consistere faciunt in Doctrina, moribus, et in Sacramentis ministrandis, damnantur ut heretici: (a)

21. ¿ Sed ad quid deserviunt leges, quæ pæna non Vallantur ?

22. Non diffitemur: quod apud Christi sectatores omnia ex amore peragi debebant: Timor enim, et amor sunt duæ tesseræ Veteris, et Novi Testamenti Secundum Agustinum:

23. Sed quia inter istos quamplurimi sunt, qui ad novum testamentum pertinent numero, non merito; autoritas qua Ecclesia est à Christo Domino ad leges condendas, se etiam extendit ad eorum observantiam pænis urgendam:

24. Contrarium sentientes damnati sunt in supradicta Bulla (b) ut suscitatores systematis olim ut hæretici damnati.

25. Cum

(a) Aut. fid. prop. 4. (b) Id. prop. 5.

25. Cum autem pœnæ aliæ sint Spirituales, corporales aliæ; Penas primi generis sub potestate Ecclesiæ cadere, non verò secundi tradunt nonnulli;

26. At nos qui persuasi sumus: nullum melius, quam Ecclesiam sua jura cognoscere; neque ullum magis alienum. quam ipsa, ab alienis juribus invadendis; Ad utrasque suam potestatem extendimus.

27. Pœnam tamen mortis excipimus; hanc nulli Ecclesia inurit; leges tamen Principum, quibus hæc pœna decernitur contra eos qui fidem corrumpunt ac Sanctam Religionem insectantur, ut justas, ut sanctas, ut religiosas, veneratur.

28. *Resecandæ sunt etenim putridæ carnes* ait *Hieronimus ne totum corpus corrumpatur.* (a) *Nullus nostrum vult aliquem hereticum perire,* ait Agustinus, (b) *sed aliter non mæruit habere pacem domus Dabid; nisi Absalon fuisset extinctus, sic Ecclesia Catholica; si aliquorum perditione cæteros colligit, dolorem materni sanat cordis, tantorum liberatione populorum.*

29. Arrigant aures qui tam petulanter, ne dicam impiè, his temporibus in hanc doctrinam debacchati sunt; sed illis ignoscamus, quid suam causam agebant.

30. Jam verò Ecclesia est quodam corpus morale, multitudine Ministrorum indigens ad sua munia rité, et ordinatè obeunda.

31. Cumque á suo Divino auctore ditata sit omni illa potestate, quæ est ad suam perfectionem neces-

(a) Caus. 24. q. 3. (b) Epist. 186. ad Bonif.

necessaria; sua est Ministros necessarios accersire, deligere, consecrare; quin ab alia extranea potestate in hoc possit impediri.

32. Quas partes olim habuerit populus, ac Supremæ Potestates circa Ministrorum altaris electione, scimus; sed scimus etiam, quod nihil horum ex necessitate, nisi apud illos, qui regimen Ecclesiæ democraticum arbitrantur.

33. Hæc pestifera lues his temporibus mirum in modum propagatur quapropter lectores monitos velim; ut sibi caveant ab illis, qui in hac parte nimium laicorum potestatem exagerant: quia latet anguis sub herba.

34. Cum autem, secundum Apostolum, qui altari ministrant participes sint altaris: Ecclesia justé suum thesaurum possidet; ut exinde Ministros suos alere; pauperes reficere, aliisque sumptibus ocurrere possit: qui in omni statu sunt communes, et necessari.

35. Unde audiendi non sunt Wicleff, et Luterus; qui (ut animas Principum esca bonorum temporalium Ecclesiæ demulcerent, atque in suas sectas pertraherent) eis indulserunt Ecclesias expoliare; tanquam hæc omnia injusté possiderent.

36. Hæc lugenda. Sed illud minime tolerandum, quod Illicitanus circulator his novissimis diebus non minus sacrilegè, quam ignoranter promulgavit circa dominium bonorum Ecclesiæ temporalium.

37. Hic malè feriatus homo, suffuratus sophismata versipellis Tallairam, Ecclesiam omni domi-

nio

nio mulctavit, ejusque bona temporalia inter bona communia, et nationalia computabat.

38. ¿Sed quid tam Sanctum, atque inviolabile: etiam apud nationes barbaras; quam, quod religioni offerebatur?

39. Pudeat tálem scurram plus meruisse gentibus sua simulacra, quam Christus homini Christiano.

40. Qua potestate Ecclesia hæc bona possidet, eádem domus sacras, ad suos Conventus, et exercitia religiosa potest sibi ædificare.

41. Unde jura Principum non invadebat: Cum contra eorum voluntatem templa erigeret, Conventus celebraret, sacra perageret: neque enim sine injuria ab his impedirè poterat ab alia potestate.

42. En ergo circa quæ versatur potestas pér Christum Apostolis concredita, ad Ecclesiam gubernandam. = *Doctrina Moris Disciplina*; Nunc videre est in quos suam possit exercere potestate.

= Duo sunt quæ in hac parte nobis negotium poterant facescere; et quæ in committis Nationalibus in favorem hereticorum dicta sunt; et quæ summi Ecclesiæ Pontifices decreverunt circa Principes infideles eorumque Regiones: ut hæc omnia in bono lumine collocentur á primo ordiamur.

43. Certè si patronos illos impietatis audimus, Ecclesiam debemus conspicere, ut inermen ad filios deperditos in officia reducendos: ibi traductæ sunt, ut immites ut truces, ut injuste, leges illæ misericordes, quibus illa deploratos filios ab exitio revocare satagebat; ¿Sed quid plura commemorem cum

san-

sanguineis lacrimis deplorari mereantur; quæ in Commitiis Catholicis audita sunt?

44. ¿Legant audaces illi quæstionem quartam Caus. 23. ubi omnia sua sophismata diluuntur, et Ecclesiæ potestas vindicatur ad hereticos, pænis etiam corporalibus compellendos: ut teneant quod promiserunt, et è sua letargia expergiscant.

45. Ad secundum verò quod attinet, Theologos videmus in duas partes divissos; quosdam, qui omnimodam denegant Ecclesiæ potestatem supra infideles Principes, etiam religionis titulo; quosdam verò qui ad expoliationem Principatus usque ei autoritatem tribuunt cum illud causa religionis exigit.

46. Hanc sententiam videntur amplexi summi Pontifices Adrianus 4. cum Regnum Yberniæ Henrico 2. Angliæ Regi concessit.

47. Hanc Martinus V, Nicolaus V, atque Calixtus III. cum Regibus Portugaliæ Regiones Orientis causa religionis consignarunt.

48. Hanc denique Alexander VI. cum Regibus nostris Ferdínando, et Elisabet Regna, et Insulas hujus *Novi Mundi* contradidit, et concredidit.

49. Ab illa non videtur legislatio nostra recedere: cum asignando causas belli, inter illas, primam enumerat: fidei propagationem. En ejus verba (a) *E este derecho segun mostraron los sabios antiguos sobre que la guerra se debia facer, es sobre tres razones: la primera para acrecentar el Pueblo su fé, è destruir los que la quisiesen contrallar.*

50. Nos ab hujusmodi lite terminanda supersedemus;

(a) Part. 2. tit. 23. Leg. 2.

demus; audaciam tamen illorum vehementér improbamus, qui (cum hanc sententiam videant antiquatam) statim Hispaniæ Reges, ut usurpatores harum Regionum traducunt ¿ sic ne cogitare licet de justitia, religione, et pietate tantorum Principum?

51. ¿Qui tanti faciunt fictum *Casas* ad suas seditiosas declamationes tuendas; quare non audiant verúm de las *Casas* in libello Hispali impresso anno 1552 cujus titulus est: *Tratado comprensivo del imperto Soberano y Principado universal, que los Reyes de Castilla y de Leon tienen sobre las Indias*: Ubi nervosé ostendit justitiam hujus dominationis?

52. Sed ne terga dare videamur; parati sumus ostendere, quod hoc solo enuntiato titulo non possunt absque piaculo sua possesione expolliari.

= *Hic pendem sistere cogitabamus sed propositio 274. quæ ab hinc annis sex hoc in loco publico certamine fuit exposita, nos cogit ultra procedere.* In ea tam atris coloribus depingitur Indorum Sors: ut eorum Pastores, Gubernatores, Presidesque Regios dixeris in utramque aurem dormitasse; vel ferina præcordia induisse, si talem miseram sortem siccis oculis conspexerunt: Non nobis succenseant talis propositionis assertores si dixerimus quod eorum celus non fuit secundum scientiam:

53. Miseram sortem Indorum, quæ in prædicta propositione deploratur, his nostris diebus; non efecerunt veri hispani, sed adulterini, et rebelles, qui eorum inscitia abusi sunt, ad sua deliria criminalia complenda.

54. Eo-

54. Eorum ignorantia in doctrina religionis adscribi debet ipsorum proterbiæ, ac rustisitate, non Pastorum desidiæ; ac si in ima miseria jacent, eorum pigritiæ ac ebrietati tribuatur.

55. Non negamus has Regiones mala aliqua pertulisse; in tali enim rerum eventu militaris licentia difficilimè continetur: verum si mala ista cum bonis librentur quæ Indiis ex hac subjectione promanarunt, merito dicere possent cum Psalmista. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* ¿quæ major tyranis illa quam ex suis Imperatoribus et Regulis patiebantur ? ¿Quæ Carnificina crudelior illa quam in obsequium suorum Numinum sustinebant,? ab hac exitiali sorte eos Hispani liberarunt; à brutali vita ad vitam socialem evehexerunt; viam salutis æternæ eos docuerunt; et progubernio truce, immitè, crudeli in eis invexerunt dominationem paternam, compassionis et misericordiæ plenam: ut videre est in tot legibus in faborem Indorum á nostris piis Regibus emanatis.

56. Sed ¡infelix Hispanorum Sors! si credimus Illustrissimo *de las Casas* Patribusque *Labat et Carlevoix* multo majora mala Indiis intulerunt Germani, Olandi, Angli: Ista Silentur, et solum Hispanorum excesus criminantur. ¡*Vah rabida invidia*!

57. Principatus Ecclesiæ naturam vidimus; nunc videre est in quibus hujusmodi potestas resideat: In hoc Ecclesiæ principatu duplicem potestatem distingunt auctores; ordinis unam, et jurisdictionis alteram. Ordinis, ad Sacra conficienda, et jurisdictio-

 nis

nis ad regendos fideles, cæteraque ordinanda, quæ ad Ecclesiæ attributionem spectant.

58. Ac Luterus quidem in hac parte in tantum lavavit habenas, ut etiam mulieres consortes Sacerdotii Christi efficeret: *Et puer, et mulier, et quilibet, Christianus* (ajebat iste Sycophanta) *absolvere potest à peccatis*; contra illum ergo, ac ejus sectarios, talem apponimus propositionem.

59. Clerici á Laicis jure divino sunt distinti, Christianique omnes solum improprio donantur Sacerdotio.

60. Fatemur quædam duriora verba Tertulliani adversariis favere; sed hæc tanti non sunt, ut propter ferociam ingenii hominis, jam Montanisti, á doctrina Ecclesiæ recedere debeamus.

61. Circa potestatem jurisdictionis Puffendorfiüs, aliique sectarii (qui Ecclesiæ potestatem in ministerio verbi, et Sacramentorum administratione coercent) eam, quanta est, in sæculi potestates transtulerunt. Richerius; etiamsi Ecclesiæ reservet illam, quæ ad interiora Religionis spectat; exteriorem tamen supremis mundi Majestatibus libenter indulget.

62. Contra quos omnes asserimus: Sæculi Majestatibus nullum jus in sacra competere.

63. Scimus, quæ Constantinus, quæ Theodosius, quæ Justinianus, aliique Principes in hac parte gesserint; sed Principum veras attributiones non facta, sed jura tuentur.

64. Eorum non est res sacras disponere, legesque Ecclesiæ dictare; sed ut ajebat S. Leo ad Leonem Imperatorem (a) Ausus nefarios reprimere; quæ

sit B bene

(a) Epist. 129.

bene sunt statuta, defendere, et veram pacem his, quæ turbata sunt restituere.

65. Felix Hispaniarum Ecclesia, cui Christus Dominus talem Principem dedit, ut in illo videatur impletum illud Issaiæ de Ecclesia vaticinium. *Et erunt Reges nutritii tui.*

66. In magno etiam errore versantur illi, qui hanc potestatem in toto corpore Ecclesiæ primum, et originalitér reponunt; exinde in totam hierarchiam ecclesiasticam promanare, ipsos que Ecclesiæ Principes esse ejus administros, in hoc ipsi servientes.

67. Hæc Sententia: si ita inteligatur, quod supremi Pastoris auctoritas ipsi à corpore Ecclesiæ comunicatur: ut hæretica damnatur á Summo Pontifice Pio VI. in Bulla Dogmatica *Auctorem fidei* prop. 3.

68. Eádem censura notantur (ibidem prop. 2) qui asserunt Pastore reliquos à communitate fidelium accipere potestatem regiminis, et ministerii.

69. Ex quibus duabus propositionibus conficitur: doctrinam illam, quæ asserit, claves Ecclesiæ à Christo immediatè traditas, per ipsam postea pastoribus comunicandas, cum fide pugnare, ac ex lacunis Lutheri, et Calvini esse depromptam: ut pœnitens *Richerius* confitebatur.

70. Dolemus certè, et vehementer dolemus, quod *Abulensis noster* in hoc luto hesserit; sed absit, ut talem hominem, ut hæreticum traducamus; nondum enim hæc veritas erat eliquata.

71. Ab omni Censura etiam non videntur inmunes,

nes, qui omnem Ecclesiæ potestatem reponunt in toto corpore hierarchico inmediatè, indivisé, et collective.

72. Hi enim, etsi democratiam Ecclesiæ efugiant, quæ in Jansenistis condemnatur, in aristocratiam Spalatensis Apostatæ, ab Ecclesia etiam reprobatam, videntur incurrere.

73. Ut igitur scopulos omnes in hac parte possimus vitare; Teneamus: Pastores primi ordinis = precipué Romanum Pontificem = Esse illos quos Spiritus Sanctus possuit regere Ecclesiam Dei, quibusque totam potestatem regiminis, ad hoc munus necessariam, concessit.

74. Sed in illa mensura, quam Divus Bernardus expossuit, sequentibus verbis (a) Sunt quidem et alii Cœli janitores, et gregum Pastores; habent illi sibi asignatos greges, singuli singulos; Tibi universi crediti; uni unus.

75. Adhuc sub lite est origo proxima potestatis jurisdictionis Episcoporum Nobis magis arridet sententia Angelici Præceptoris, qui (b) totus est in asserendo: quod eorum potestas á Romano Pontifice derivatur.

76. Quæcumque harum opinionum teneatur; de necessitate salutis est credere, quod Romanus Pontifex potest in aliquibus Episcoporum auctoritatem coercere; quæ cum ita sint ¿ quis non miretur audaciam Synodi Pistoriensis exemptiones, reservationes à Sede Apostolica factas, damnantis, adhortantisque corpus Episcoporum ad hæc jura Sanctæ Sedis

(a) Lib. 2. De cons. ad Eug. cp. 8. (b) 4. contra gent. cap. 66: — 4. S. D. Dist. 24. quæst. ult. = 2. S. D. Dist. ult. expotitione lit.

dis violanda? Sed bene habet quod seditiosa ista doctrina damnata est in Bulla Dogmatica *Auctorem fidei* prop. 7. et 8.

77. In qua autem mensura Episcopi hanc potestatem accipiant, res est non parvi momenti, et quam pro decore nostræ religionis enucleate debemus *In commitiis Provincialibus hujus Provinciæ abhinc annis sex, preter propter, publico certamini expositæ sunt sequentes propositiones, quæ sunt in ordine* = 175. 176. 177. 178. 179. 183. = *Apostoli cum pari potestate à Christo missi sunt neque uni præ alio majorem dedit auctoritatem* = *Super omnes ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidatur, atque cum Christus Dominus Petrum alloqutus est, claves promittendo, suasque omnes oves post resurrectionem commendando, ad totum Apostolorum Collegium verba illa direxit.*

78. Hæ propotisiones, si ut sonat inteligendæ veniant, hereticæ sunt; destruunt enim Primatum jurisdictionis Principis Apostolorum: cum nulla ei superior auctoritas præ reliquis Apostolis concedatur, et Scripturæ loca, quibus Primatus comprobatur, Omnibus attribuant =

79 Attamen si accipiantur pro sola auctoritate Apostolatus, cujus partes erant prædicare evangelium omni creaturæ, Ecclesias ubique fundare, Episcopos instituere, et consecrare, cæteraque ordinare, quæ ad politiam Ecclesiæ, et animarum salutem utilia erant; sanæ sunt et Catholicæ.

80. Similiter verba, quibus Christus Dominus Primatum

matum Divo Petro promissit, ac confirmavit, ad omnes dirigere *secundum distributionem accommodam*; ut verbis scholæ utamur -- Nihil fidei officit.

81. Officiunt tamen, si in rigore accipiantur; sed charitas exigit, ut prædictæ expositiones ab assertoribus harum propositionum subauditæ inteligantur.

82. Nostra quidem sententia labuntur in errorem, qui cogitant, Episcopos Apostolis succesisse in omnibus juribus, quæ á Christo Domino acceperant ad Ecclesiam fundandam, atque regendam: sic cujuslibet Episcopi Episcopatus esset totus mundus, sicut cujuslibet Apostolorum fuit, quod absurdum esse; ¿quis non videt?

83. Hæc et alia, supra enumerata, peculiaria fuerunt sumis illis Ecclesiæ ædificatoribus.

84. Episcopi eis successerunt in tota ordinis plenitudine; sed in potestate jurisdictionis, secundum mensuram, quam supra ex Divo Bernardo dedimus quamque Angelicus Doctor nos edocet (a) cum ait *Episcopos vocatos esse in partem solicitudinis, et non in plenitudinem potestatis.*

85. Qui primam sententiam amplectuntur: mirum non est, si cuilibet Episcopo jure divino attribuant, quidquid necessarium est, ad suæ Ecclesiæ gubernationem, (tanta enim erat Apostolorum auctoritas.)

86. At Falsitatem hujus assertionis nobis patefaciunt, quæ à Summo Pontifice Pio 6. decreta sunt in Bulla *Auctorem fidei* prop. 6. Hæc ignorari ab assertoribus prædictarum propositionum, cogitare non pos-

(a) 4. Sent. Dist. 20. q. 3. art. 4.

possumus; ipsos decisionibus Apostolicis velle contraire, credere vetamur; unde cum in sua propositione 183. affirmant Episcopos à Christo Domino accepisse, quidquid necessarium erat ad suæ Ecclesiæ gubernationem, inteligenda credimus, præter ea quæ in dicta propositione 6. excepta sunt.

87. Hæc dicta sunt sine præjudicio Sanctissimorum Episcoporum; Hic sacer ordo ab omni assentatione abhorret, suamque reputat injuriam; si suum caput videat lacesitum: agnoscit jam senistarum versutiam, qui ut celsitudinem Sanctæ Sedis pessundent, Episcopos investiunt juribus non suis; sicut ut et istos humilient, Pastoribus secundi ordinis quamplurima attribuunt, quæ inter jura Episcopalia privatim recensentur; ut Judices in Conciliis divino jure sedere: cum Episcopis ex æquo causas religionis tractare; immo contra eos definire, si numerus vincat; quæ doctrina damnata est in *Bulla auctorem fidei* prop. 9.

88. At oleum et operam perdunt vafri isti omnis potestatis inimici, namque sanctissimi Episcopi cordi habent, non transilire terminos, quos possuerunt Patres sui.

89. Summo autem Christi Vicario ¿ quis poterit terminos prefigere ? ipsius, solius est, ajebat S. Cirilus Alexandrinus, (a) *ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, solvere, et in loco illius ligare, qui ipsum edificaverit; et nulli alii, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit; cui omnes jure divino caput inclinant, et Primates mundi, tamquam ipsi Domino Jesu, obediunt.*

90. Tu

(a) Lib. 2. Thesau. oro.

90. Tu cum fine (inquiebat S. Cirilus Hierosolimitanus ex persona Christi Petrum alloquentis.) *Tu cum fine et ego sine fine cum omnibus, quos loco tui ponam, plene, et perfecte Sacramento et auctoritate cum eis ero, sicut sum et tecum* = Quia amas me, ajebat Chrisostomus ex persona Salvatoris ad Petrum *Quia amas me, tibi confirmo, quod meum est plenum* = (b)

91. In his fontibus bibebat Angelicus noster Præceptor, cum Romano Pontificè plenitudinem potestatis in Ecclesia tribuebat (c) Cum ei facultatem concessit mutandi statuta universalium Conciliorum (d) Condendi leges; non tantum quæ antiquas regulas confirment, ut minus vere dixit Cardinalis Cussanus; sed etiam, quæ novam inducant disciplinam (e) extrahendi á potestate sui inmediati Prælati, quos maluerit. (f) Atque in qualibet Diœcessi agendi, et ordinandi, quæcumque immediatus Prælatus agere potest, et ordinare. (g)

92. ¿Sed quid Divum Thoman commemorem; cum hoc, et plurima alia legislatio Hispanica? (h) *Papa*, inquit, *banonce otrosi el Apostolico que quiere tanto decir en Griego como Padre de Padres*: e esto *es por que todos los Obispos son llamados Padres espiritualmente; è es sobre todos, è por eso le llaman asi. Ca bien como el poder que es sobre todas las cosas del mundo, se ayunta è se afirma en Dios, è del le reciven: otrosi el poder que ban los Perlados de la Santa Eglesia se ayunta, è se afirma*

en

(b) S. Chris. ad consult. Bulg. (c) 4. Sent. Dist. 20. art. 4. (d) In tract. cont. impug. religionem cap. 4. (e) Cont a errores Græcorum cap. 61. (f) Sec sent. Dist. ult. (g) Quart. sent. Dist. 19. art. 3. (h) Part. 1. tit. 5. L. L. 4. et 5.

en el Papa è de èl les viene; è por eso convino que estos dos nomes Papa, è Apostolico se ayuntasen en una Persona, que fuese cabeza de todos los otros Perlados; asi como dicho es. Onde por todas estas razones debe el Apostolico ser mucho honrado, è guardado; como aquel que es Padre de las almas, è Señor, è Mantenedor de la Fè; è por eso todos los Cristianos del mundo quando vienen à èl, besanle el piè: onde qualquiera que dijese, afirmando como quien lo creè, que el Papa no hà estos poderes que habemos dicho aqui, ò que no es Cabeza de la Santa Eglesia; sino que es descomulgado, debe haber tal pena por ello como herege conocido: (a) *Mayoria hà el Papa sobre los otros Perlados en poder é en fecho: Ca èl los puede deponer cada que ficieren por que e, despues tornarlos en aquel estado que antes eran, si quisiese: e otrosí, puede cambiar el Obispo de una Eglesia à otra; è si alguno quisiere dexar el Obispado no lo puede facer sin mandado del Apostolico.. é otrosi, èl puede sacar à qualquier Obispo de poder de su Arzobispo, ò de su Primado, ò el Abad del poder del Arzobispo ò de otro su mayoral. . . è otrosi, èl puede tornar los Clerigos que desordenaren sus Obispos en aquel estado, en que ante estaban, é aun ha otra gran Mayoria, que si en su privilegio alguna dubda viniere, que otro ninguno no la pueda espaladiñar, si no èl:: è èl puede facer Concilio general quando quisiere, en que han de ser todos los Obispos, è los otros Perlados, è aun puede llamar à los Principes de la Tierra que vayan, ó*

 em-

(a) L. 4.

envien á los que fueren convenibles para ir . . . el ha poder otrosi de facer establecimientos è decretos à bonra de la Eglesia, è apro de la Cristiandad en las cosas Espirituales, è deben ser tenidos de los guardar todos los Cristianos; è puede toller à los Clerigos, si quisiere, los beneficios è los derechos, que obieren en las Eglesias; è poder ha de dar, è prometer por su carta qualquier dignidad ó beneficio de la Santa Eglesia ante que muera ni lo deje aquel que lo tubiere.. è otrosi, ninguno ninguno puede librar los pleitos de las alzadas que los omes fizieren al Papa; sino èl mismo, ò quien èl mandare: è èl puede absolver á los que otros descomulgaren, è ninguno puede absolver al que èl obiese descomulgado.

93. Hanc potestatem ei ultro concedunt Doctores Galli; sed super Ecclesias particulares. Super Ecclesiam autem Universalem in Concilio congregatam, talia Romano Pontifici indulgere piaculo habent, propter auctoritatem Conciliorum Constantiensis et Bassiliensis.

94. Miramur religionem tantorum virorum erga hujusmodì Synodos; cum eorum auctoritas sua placita nondum extracserit á linea opinionis Theologicæ, testibus Bossuet, Cardinali Pessomo, atque auctore defentionis Cleri Gallicani. At merito: nam si acta Concilii Constansiensis animo sedato ac á præjudiciis libero conspiciantur, videbimus.

95. 1.um Concilium Constantiense in sessione quarta, et quinta non fuisse œcumenicum.

96. 2.um In eis stabilita circa Romanum Pontificem

fideem non fuisse determinata, ut veritates fidei.

97. 3.um Intelligenda venire de Papa dubio, non certo.

98. 4.um; Quod, etiam si nihil horum deesset, robore carebant; cum á Romano Pontifice confirmata non sint; á quo eorum firmitas pendet, ut Auctor est D. Angelicus. (a)

99. Quinimo, si de Papa certo intelligenda pugnent; damnata et reprobata fuere à Martino V. (b)

100. Exinde ad Bassilense deveniendo; invenimus ejus auctoritatem infirmiorem esse, quam ut possit æquum rerum æstimatorem cogere, ut in sua placita descendat: cum enim Romanus Pontifex semper pro superioritate Sanctæ Sedis pugnaverit, nec in hoc, vel ad horam, Bassilensibus cesserit; robore carent quæcumque in contrarium decreverunt.

101. E contra vero, ex iis quæ gesta sunt in Conciliis Efesino, Chalcedonense, ac Nicæno secundo, comprobatam habemus supremam Auctoritatis rationem, quam Summo Pontifici tribuendam discimus.

102. Immo in ipsa idea universalis Ecclesiæ, quam D. Thomas nobis presentat; (c) Superioritas Romani Pontificis, etiam supra Concilia Generalia involvitur.

103. Quam, si attentè consideremus, à vero non aberrasse videbimus Patres Concilii Chalcedonensis; cum Romanum Pontificem Episcopum universalis Ecclesiæ appellant.

104. Nec Chrysostomum assentari, cum super Ac-

tus

(a) 2a. 2æ. q. 1. art. 1. (b) Dic Jov. 10. Mart. ann. 1418. (c) 4. cont. gent. cap. 76.

tus Apostolorum, affirmat; *Romanos Pontifices in persona B. Petri à Filio potestatem accepisse super omnes, qui filii sunt; et hoc non in gente una, sicut Moyses, sed in universo orbe.*

105. Hæc cum ita sint; jam nobis ostendunt formam regiminis, quam Christus Dominus in Ecclesia stabilivit, democraticam clamant Jansenistæ, aristocraticam Spalatensis Apostata, monarchicam, omnes qui Catholicé sapiunt; ita ut ipsemet Gerson doctrinam oppositam ut hæreticam traducat.

106. At cum forma regiminis possit esse, et simplex, et composita; auctores Galli ei aristocratiam commiscent.

107. Sed bona venia ipsorum, tali mixtura, quæ monarchiam destruit, ut ipsemet publicista Puffendorfius asseverat.

108. Unde forma regiminis, quam Galli commiscuntur, Romanum Pontificem Concilio Generali subjiciendo; nec monarchica est, nec aristocratica, democratica ve sed regimen irregolare, corporibus moralibus magis infestum (Puffendorfio teste) quam vel aristocratia, vel democratia.

109. Absit, ut talem politiam Christum Dominum Ecclesiæ suæ dedisse cogitemus. Auctor pacis (ajébat Pius II.) quale regimen Ecclesiæ suæ dare debebat, nisi pacis amicum, monarchicum (videlicet; in quo summa rerum penes unum exstat, et á quo omnia alia pendeant, ac ejus potestati subjiciantur.

110. *Qui tali amori Ecclesiam suam prosecutus est, ut pro ea Sanguinem fuderit, ait D. Thomas,* (a) *qua-*

(a) 4. cont. gent. cap. 76.

æquale regimen nisi optimum ei dare debebat, ab illis-que arcere formas illas regiminis, quæ dissidiis fomitem ministrant. ?

111. Teneamus ergo cum nostro Angelico Præceptore: (b) quod cum Ecclesia Militans à Triumphante per quandam similitudinem derivetur, secundum illud Apoc. 21. *Vidi Jerusalem descendentem de Cœlo*; sicut in Ecclesia Triumphante unus præsidet secundum illud Apoc. 21. *Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus*; ita et in Militanti, unus est, qui præsidet universis, secundum illud Oseæ cap. 1. *Congregabuntur filii Juda et filii Israel pariter, et ponent sibi caput unum*; vel, sicut Dominus promisit Joann. cap. 10. *fiet unum ovile et unus Pastor.*

112. Miramur, gentem cordatam tam malam causam suscepisse, plusque apud eam valuisse unum Almaianum, aliosque novorum dogmatum inventores, quam duo illa magna Scolæ Parisiensis luminaria, *Thomas*, et *Bonaventura.*

113. Utinam secum perpendant, quod systema regiminis, quod in Ecclesia eformarunt, viam aperuerit ad Regicidia, quæ in ipsa patrata sunt, et quæ suum honorem tantopere fœdarunt.

114. Scimus discrimen quod apponunt inter supremas potestates Civiles, et Ecclesiasticas; sed scimus quod principia, quibus nituntur sui systematis inventores, ad tales tragedias ducunt, nec eorum antesignani diffitentur.

115. Apage ergo systema et Ecclesiæ infensissimum,

(b) loc. prædic.

rum, et reipublicæ ruinosum.

116. Non repugnamus tamen in hac Sancta Monarchia aliquod temperamentum aristocratiæ recognoscere; uti est, quod ordo Episcoporum, eorumque auctoritas, in deposito religionis conservando, atque promovendo, non est inventum humanum, sed institutum divinum, quod quidem jura supremæ potestatis non labefactat; utpote ei per omnia subjectus; nec ejus regimen extrahit verâ ratione monarchiæ.

117. Quia verò naturalis ratio dictat, ab inferioribus judicibus superiorem appellandum, consentaneè ad nostra principia, asserimus: ad Romanum Pontificem deferri posse appellationes omnes, sive ab Episcopis, sive à quolibet Clerico interponantur.

118. Non ignoramus, quæ in Conciliis Nicæno, Antiocheno, Chalcedonensi, ac ab Justiniano (si fas erat illi talia decernere) decreta sunt pro causis Ecclesiasticis terminandis; sed hæc jura Primatus Romani Pontificis labefactare non possunt.

119. Præter quam quod ad omnem disciplinam, quæ post Sanctos Apostolos in Ecclesia viguit, adfuit semper consensus, saltem tacitus, Romani Pontificis, sine quo robur non habet quidquid disciplinam universalem tangit.

120. Majestas Primatus Sedis Romanæ majoribus est fixa radicibus; quam ut à quolibet concilio, etiam Generali, possit avelli.

121. Hinc Patres Africani in suis dissidiis cum Summis Pontificibus Zosimo, et Cælestino circa ap-

quum pella-

pellationes numquam eis hanc potestatem denegarunt: disciplinam, quæ tunc vigebat, opponebant; sed semper salvis juribus Primatus.

122. Et (ut æquivocationem vitemus) distinguamus in Romano Pontifice viam duplicem procedendi in appellationibus admittendis, unam utendo jure Primatus, alteram se accommodando vigenti disciplinæ; testem appellamus D. Gregorium Magnum in causis Episcoporum Andreæ Thebani, et Episcopi Urbis Epidauriæ.

123. Qua distinctione possita, credimus quod neque Patres Africani cum Zosimo et Cælestino, neque S. Hilarius Arelatensis cum Leone; neque Patres Hispaniæ cum S. Gregorio Magno propter restitutionem Stephani, decertabant, attento jure Primatus.

124. ¿Et qui hæc stare possunt cum principiis gallicanis, quæ Romano Pontifici plenam tribuunt potestatem super quaslibet Ecclesias particulares, tantumque ab ejus potestate excipiunt Concilium Generale? At auctoritate Generalium Conciliorum agebant.

125. Verum, si (ut Auctor est D. Thomas) (a), Patres in Conciliis congregati nihil statuere possunt nisi auctoritate Summi Pontificis interveniente; Concilia Generalia ¿qui potuerunt manus Romani Pontificis ligare?

126. Si adversarii desiderant exempla hujusmodi potestatis; habent prorsus; habent Basilidem Hispanum á Sede Apostolica restitutum; habent Eustachium

(a) D. Thom, in tract. cont. impugnantes relig. art. 4.

chium Sebastenum á Liberio in pristinum gradum restauratum; habent Athanasium, habent Chrysostomum; quos omnes damnatos in Synodis particularibus, Romani Pontifices suis sedibus restituerunt; quin Ecclesia usquam eis diceret ¿ *cur ita facis* ?

127. Cum appellatio á jurisconsultis definiatur: *A minore judice ad majorem ratione gravaminis facta provocatio*; nos qui Romano Pontifici supra totam Ecclesiam supremam potestatem vindicamus; ab ipsius judicio, tam in causa fidei, quam in materia disciplinæ, omnimodam appellationem denegamus.

128. Ipsi sunt Canones (ajebat Gelasius I.) qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluerunt deferri; ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt.

129. Si adversarii nos impetant tantarum appellationum á Romano Pontifice ad Concilium Generale, exemplis; nos illis opponemus Martinum V., Pium II, Sixtum IV; ut de aliis sileamus, qui tales appellationes damnarunt; Martinus in Concilio Constantiensi anno 1418. Pius in Conventu Mantuano anno 1459. ac Sixtus anno 1483. et Iste quidem, ut hæreticam damnat appellationem ad Concilium Generale, Romano Pontifice semoto.

130. ¡ Quanto felicius ipsis accideret, hæc oracula auscultare; quam octodecim Episcopos Pelagianos, primos parentes hujus doctrinæ; impiumque Luterum, refractariosque Jansenistas, qui eam tuentur, ad illudendas Sanctæ Sedis Sanctiones, ac ejus damnationem vitandam. !

131. ¡Utinam universus orbis Christianus sibi suadeat; Petrum esse alterum lapidem super quem, quid ceciderit, confringetur; et super quem ceciderit, conteret eum!

132. Hanc autem tam miram potestatem Christus Dominus Petro, ejusque succesoribus contradidit; ut unitas in Ecclesia servaretur. = Inter duodecim unus eligitur (ait Hieronimus) = ut capite constituto, schismatis tollatur occasio, et unitas in Ecclesia servetur. (a)

133. Quia verò unitas Ecclesiæ precipué ex fide dependet, secundum illud Apostoli, Idipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata. Ex ipsa ratione Primatus emanat Summi Pontificis indefectibilitas in doctrina fidei, et morum.

134. Unde qui Primatum confitentur, et ipsum defectibilem credunt; pugnantia loquuntur.

135. Tot sunt momenta, quibus hæc veritas comprobatur, ut merito dixerit Illustrissimus Melchior Cano, *quod si ad Concilium referatur, hæresios nota oppositæ sententiæ inureretur.*

136. ¿Quis miriadem Patrum, qui sedem Romanam, ut centrum unitatis, et veritatis, prædicarunt, referre potest? ¿Quis Conciliorum testimonia, quibus nobis hanc Cathedram, ut portum salutis commendarunt.?

137. Qui extra hanc domum agnum comederit, profanus est; et qui in hac arca non fuerit, peribit aquis diluvii, ut ait Hieronimus. (a)

138. ¡Sed mirum est, quot effugia adinvenerint ad-

(a) Hieron. cont. Jovinia. lib. 1.

versarii; ut ab his laqueis se extricarent! Abutendo illo S. Leonis effato, *aliud sunt sedes, aliud sedentes.* Sedi Romanæ infalibilitatem attribuunt; non verò in ea sedenti.

139. Sed immerito; sedes enim Romana si infalibilis est, est infalibilis propter privilegium Christi, Romanis Pontificibus concessum.

140. Videntes hoc efugium insufficiens esse (cum Epistolam Dogmaticam S. Leonis ad Flabianum in Concilio Chalcedonensi ad examen avocatam crederent) in aliud diverticulum, non minus ruinosum, impegerunt: indefectibilitatem concedunt seriei Romanorum Pontificum, quam tamen denegant cuilibet in particulari.

141. Verùm si privilegium indefectibilitatis sequitur naturam Primatus; ¿qua specie veri denegant alicui tale privilegium, cum in omnibus inveniatur totus, et integer Primatus? ¡En quibus difficultatibus implicantur, qui transgrediuntur terminos quos possuerunt Patres sui!

142. Nec minores patiuntur angustias in alia via ab ipsis excogitata, nam (ut et honori Sanctæ Sedis consulerent, et sua placita inconcussa manerent) Romanos Pontifices infalibiles dicunt, cum eis adhæret consensus Ecclesiæ, secus verò, si eis hoc fulcimen deficiat.

143. Sed, ¡quam varii in hoc consensu asignando! Alii consensum totius Ecclesiæ exigunt; alii consensum Ecclesiæ Romanæ solius; nonnulli autem contenti sunt cum paucorum Episcoporum adhæsio-

D ne

ne sententiæ Romani Pontificis.

144. ¿ Qui consensum totius Ecclesiæ exigunt, dicant (amabo) quid peculiare tribuunt Romano Pontifici, quod cuilibet Episcopo particulari non tribuerent ?

145. ¿ Qui autem paucorum Episcoporum, vel solius Ecclesiæ Romanæ; qui possunt ei infallibilitatem tribuere; cum et pauci Episcopi, et Ecclesia Romana per ipsos fallibiles sint. ?

146. ¡Gratias Deo, qui ope Angelici Præceptoris nos ex isto labyrinthu extricavit ! Ejus igitur vestigia sectando (a) sequentia asserimus

147. 1.um Romanum Pontificem infallibilem esse in fidei, et in morum doctrina.

148. 2.um Ad ipsum precipuè pertinere ea, quæ sunt fidei terminare talemque potestatem principaliter in eo residere.

149. 3.um Concilio Generali non egère ad fidei controversias finiendas.

150. 4.um Ipsumque Concilium robore carere; nisi ejus auctoritate fulciatur.

151. 5.um Non ipsum consensum Ecclesiæ spectare debere; sed Ecclesiam ipsum sicut Pastorem audire, sicut ducem sequi, et sicut Magistrum venerari: Ista nos docuit Angelicus Doctor, ista sequimur, ista predicamus.

152. Quamvis autem Sanctæ Sedi simus apprime devoti; vitium assentationes toto corde detestamur; memores nullos majores hostes supremas Potestates habere; quam eos, qui plus justo jura sua exten-

(a) 2a. 2æ. q. 1. art. 10. et q. 11. art. 2. ad 3. cont. errores Græcorum cap. 69. 3. cont. gentes cap. 76. De potentia q. 10. art. 4.

extendunt: in eo enim quod ipsis tribuunt, quæ sua non sunt, dubia reddunt, quæ ab ipsis legitimé possidentur.

153. Non defuerunt qui Romanus Pontifices ab omni erroris labe liberos prædicarunt, etiam cum, ut Auctores particulares, loquuntur.

154. Nos autem eis hoc privilegium donatum censemus cum nos ex Cathedra docent.

155. Tunc autem dicuntur ex Cathedra loqui: *cum liberè, cum maturè, cum veritates revelatas toti Ecclesiæ credendas firmiter proponunt*; ita ut pro hæreticis, vel saltem inobedientibus habeantur, qui eorum judicio detrectant aquiescere.

156. *Liberè*; de is enim, quæ fidelibus, credenda proponunt, dici debet, *Visum est Spiritui Sancto, et nobis*; quod dici non potest de is, quæ ex metu; sed quæ ex intima animi sententia decernunt.

157. *Mature*: hoc est post diligens, et accuratum examen: Hoc enim Apostoli Ecclesiam docuerunt in illa magna conquisitione facta in Concilio Hierosolymitano; tanta enim, et tam accurata examinatione ipsi non indigebant (cum Spiritus Sanctus eos doceret omnem veritatem;) sed ad posterorum informationem, hoc litteris mandaverunt.

158. *Veritates revelatas*: Infallibilitas enim Petro, et ejus succesoribus concessa est, ut fratres in fide firmaret: fides autem de his tantum est, quæ Apostoli à Christo Domino edocti, vel à Spiritu Sancto inspirati, Ecclesiæ tradiderunt.

159. Requiritur demum, ut has veritates toti Ec-

clesiæ

clesiæ proponant; ut firmiter credendas: quia indefectibilitas, non propter aliquam Ecclesiam particularem (excepta Romana, ut quibusdam videtur) sed propter Ecclesiæ Universalis firmitatem, ipsis concessa est.

160. Si hæ conditiones nimis extensæ adversariis videntur; consentiant nobiscum, et pacem firmamus.

161. His positis; in nihilum decidunt, quæ nobis objiciunt de lapsu Liberii, de imprudentia Honorii, de factis Stephani VII. et Sergii III. contra Formosum, de que responsis Gregorii III. ad Bonifacium Moguntinum, et Cælestini III. super nullitatem Matrimonii propter alterius conjugis lapsum in hæresim. Iis enim omnibus, vel defuit libertas, vel defuit maturitas; vel defuit materia, vel propositio universalis, quæ omnes compelleret ad credendum.

162. Unum superest inquirendum, in quo adversarii magnam vim faciunt ad infirmanda Romanorum Pontificum, etiam *ex Cathedra* decreta dogmatica, videlicet; examen, quod de Epistola D. Leonis ad Flabianum in Concilio Chalcedonensi institutum est, et in sexta Synodo de judicio synodico Martini Pape contra Pirrhum, et Sergium.

163. Sed mirum est quomodo viri oculati hæc nobis objiciant! Ipsismet Testibus judicium Romani Pontificis in dactrina fidei, cui accessit consensus majoris partis Ecclesiæ irreformabile est. Evolvant autem adversarii Ecclesiasticas historias, et cum in eis viderint totum penê christianum orbem, jam *ante examen enuntiatum*, doctrinæ Sanctorum Leo-

nis,

nis, et Martini accesisse; erubescant talia nobis opponere.

164. Examen curiosum est, quod infirmat Decreta Dogmatica Romanorum Pontificum; non verò instructivum; vel si curiosum, ex indulgentia permissum ad protervorum frangendam audaciam.

165. Tale fuit, quod in his duabus Synodis institutum est de scriptis et gestis prædictis; unde nihil nobis officiunt.

166. Exigimus certè maturum examen, antequam ad definitionem alicujus veritatis procedat; sed quod hoc peragatur de necessitate cum Clero Romano, non videmus.

167. Cùm ergo neque ex Evangelio, neque ex traditione constet talis necessitas: asserimus: Romanum Pontificem liberum esse ad consulendum, quos sibi maluerit.

168. Nemo autem ex hactenus dictis conjectet, nos Sacratissimos Episcopos à negotio fidei secludere; omnibus enim dicit Apostolus in persona Thimotei *depositum custodi.*

169. Falluntur qui illos meros conciliarios in causis fidei contemplantur.

170. Sed falluntur etiam, multumque falluntur, qui existimant in eorum potestate esse decretis Dogmaticis Pontificiis repugnare; *Direximus pro nostra sollicitudine Sanctos Fratres et Consacerdotes nostros*— ajebat S. Cælestinus ad Patres Ephesinæ Synodi— *ut quæ à nobis antea statuta sunt, exequantur; quibus præstandum à vestra Sanctitate non dubitamus assensum.*

171.

171. Igitur Episcoporum in Conciliis partes sunt, dum res controvertitur, disquirere; dum terminatur, definire, et judicare; sed in omnibus Decreta Dogmatica Romani Pontificis sequi, atque in ejus sententia conquiescere; secundum illud Concilii Hierosolimitani: tacuit omnis multitudo, postquam Petrus loquutus est. (a)

172. Possunt etiam illius Judicium novis argumentis confirmare, aut etiam aliquid sugerere, quod vel ad concordiam ineundam, vel ad veritatem magis illustrandam, vel ad errorem facilius evellendum, facere posse videatur, uti S. Jacobus in Concilio Jerosolimitano effecit, doctrinam D. Petri confirmando testimoniis Scripturarum (b) et de suo adjiciens ad majorem concordiam inter gentes et Judeos ineundam; ut gentes se abstinerent à sanguine et suffocatis. (c)

173. Errant profecto, qui ad veram rationem Judicis exigunt, posse, vel à lege, vel à vera sententia declinare; superioritas enim, quæ in judice reperitur, non est super veritatem; sed ut ab ipsis cognitam, fideles cogant custodire.

174. Patres Concilii posterioris cum Synodos anteriores confirmant, nonne ut Judices loquuntur? et tamen ab ejus decretis dogmaticis resilire non possunt.

175. Sed quid plura? S. Jacobus in Concilio Hierosolimitano (post decissionem Principis Apostolorum) tacuit; sicut et omnis multitudo; qui tamen in se recognoscebat et potestatem, et exercitium judicandi

(a) Auct. 15. (b) Id. v. 20. (c) Auct. 15. v. 26.

dicandi cum dicebat: *propter quod ego judico.* (a)

176. Sed Spiritus Sanctus non adest Patribus in Conciliis Generalibus congregatis? adest sane; sed ut Vocem Supremi Pastoris audiant, unaque cum Illo collaborent, ad domum Dei amplificandam.

177. Hanc veritatem nos docuit Apostolorum Princeps illis verbis (b) *Vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit gentes per os meum audire verbum Evangelii, et credere.*

178. Hanc Divus Irenæus, cum omnem Ecclesiam ad Romanam Sedem debere convenire propter potiorem principalitatem, asserebat.

179. Hanc denique D. Thomas, cum (c) ex indefectibilitate Romani Pontificis, indefectibilitatem Ecclesiæ auspicatur.

180. Non solum in quæstionibus juris hanc indefectibilitatem Romano Pontifici vindicamus, sed in factis Dogmaticis hoc privilegium ipsi concedimus. Hæc nos docent Summi Pontifices Alexander VII. (d) Clemens XI. (e) ac novissime Pius VI. (f) cum contra refractarios Jansenistas definierunt, Decretis Romanorum Pontificum in factis Dogmaticis Jansenii, et Quesnelii non satis fieri per obsequiosum silentium; sed eis deberi veram atque cordis sinceram obedientiam.

181. Christus Dominus, in persona Romani Pontificis, Ecclesiæ suæ dedit Magistrum, quem audiat, non solum in credendo, sed etiam in operando. Hinc est, quod ejus infallibilitas extendere se de-

bet

(a) Auct. 15. v. 19. (b) Auct. 15. v. 7. (c) Secunda sec. q. 1. art. 10. (d) Bull. reg. Apost. (e) Bull. vineam Dom. Sabaot. et Bull. unigenitus (f) Bull. Auctorem fidei prop. 13. et 14.

bet etiam ad morum doctrinam.

183. Si enim Fariseorum oracula monebat sequi, et auscultare (propter Cathedram Moyses, quam occupabant) quanto magis voluerit honorari magisterium illius, cui vices suas commendavit?

184. Maneat ergo Romanum Pontificem errare non posse in morum doctrina, eorum, qui ad salutem necesarii sunt.

185. Hujus vero assertionis et altera consectaria esse videtur: Summum Pontificem (cum in re gravi quidem, et quæ ad christianos mores formandos apprimè conducat, leges toti populo christiano dicit firmo, certoque decreto, et quo omnes ad faciendum sub æterna pæna obligentur) non posse jubere quidquam Evangelio, aut rectæ rationi contrarium.

186. Talis, (ut non amplius dicamus) nobis videtur relatio in censum, et tabulas Sanctorum eorum, qui dum viverent, magna pietate floruerunt.

187. Unde D. Thomam sectando (a) Romanos Pontifices in his causis indefectibiles dicimus.

188. In moribus autem non toti Ecclesiæ communibus, sed qui ad privatos homines, vel Ecclesias referuntur (etsi non tanti facienda sunt Summorum Pontificum decreta) non tamen impune, protervé, et audacter licet in illa contraire, et in dubium revocare. (b)

189. Quæ quidem suadent, magnam reverentiam promereri leges illas, quæ à Sancta Sade emanant in totius Ecclesiæ bonum, quas *disciplinales* appellamus.

E 190.

(a) Quod. libed. 9. art. ult. (b) Cap. sic omnes. cap. Enim verò cap. Nulli fas est 19. Dist.

190. Sed hac in re ¿ quantum protervi Jansenistæ non peccarun.?

Taliter debaccati sunt contra Sanctam Sedem in materia disciplinæ; ut (si ipsos audimus) dicere debemus: *omnia deperdita*, religio falsis praxibus fædata, deformata liturgia, corrupta disciplina, corona Episcopalis in suis juribus vulnerata, omnia sua dequeversa; ut altera Ecclesia ab antiqua videatur: appellamus maleferiatam Synodum Pistoriensem.

191. Rogamus autem hanc efrontem turbam, ut nobis ediscerat ¿ undenam Sanctæ Sedis primitiva decreta suam hauriisent rectitudinem? ¿ Nonne ex promissione Christi Petro, et ejus succesoribus facta? ¿ Si autem Christi asistentia usque ad consumationem sæculi est promissa; qua fronte detrectant præsentium Romanorum Pontificum sanctiones; qui tantopere laudant antiquorum decreta?

192. Illi ergo recta via incedunt, qui Christi tutelam, et in præsentibus credunt ad ea sancienda, quibus præsens Ecclesia regitur; nec si hodierna mitiora sint, quam antiqua; propterea sunt minus recta: Alia enim, graviori medicina curantur robusti, alia mitiore curantur debiles; rectaque consilia dictant lolium aliquod permittendum in hoc dominico agro, ne tota messis pereat.

193. Non negamus tamen in aliquo particulari posse Romanum Pontificem dicipi (in hoc que ejus causam agimus) namque (ut Auctor est prudentissimus Melchior Cano) (a) *Qui Summi Pontificis*

E *de re*

(a) Lib. 5. De loc. teolog. cap. 5.

de re quacumque judicium temerè, ac sine delectu defendunt; hos Sedis Apostolicæ auctoritatem labefactare, non fovère; evertere, non firmàre.

194. Sed tunc sanum est judicium illud Caroli Magni: (a) *quare servanda est cum mansuetudine humilitas: ut licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum; Tamen feramus, et pia devotione toleremus.*

195. Sed ut ad appellantes revertamur, (quod magis lepidum est) est causam hujus resupinationis, (quam accusant in Ecclesiæ disciplina) falsis Decretalibus Isidorii Mercatoris imputare: illis abusant Sanctam Sedem ad suum spirituale imperium amplificandum, inclamant: illis ad *causas majores*, quas vocant, sibi reservandas: illis ad tot exemptiones concedendas, et tot reservationes aucupandas; ut penè evanuerit auctoritas Episcopalis: tanta est horum hominum comitas erga illam Sedem, à Sanctis Patribus tantopere celebratam.

196. Pudore autem suffundat Sycophantas istos testimonium hæterodoxi Blondeli, qui (quamvis plus justo carpat Issidorianam collectionem,) fatetur tamen, quod quidquid in illa continetur, vel ex Sanctis Patribus, vel ex antiqua disciplina, vel ex civilibus legibus esse depromptum: cui consonat Illmus. Petrus de Marca.

197. Sibi suadeant hujusmodi dectractores, Romanam Sedem his falsis mercibus non indigere ad tot exemptiones concedendas, et tot causas reservandas. Suprema enim illa auctoritas, qua gaudet in Eccle-

(a) Cap. In memoriam dist. 19.

Ecclesia Dei (prout Concilia Florentinum et Tridentinum confitentur) ipsam auctoritate confirmat, ad hæc et alia eficienda.

198. Hæc nostra sententia quidem, congruentèr; ut sic orbis Christianus recognoscat divinum illum Primatum, quo Christus Dominus eam insignivit ad totius Ecclesiæ pacem, his novissimis temporibus à tot sciolis et irreligiosis deformatam.

199. Et (ut ait eruditus Thomasinus) hac via flumina, ad id unde exierunt, revertantur; cum (ut autor est D. Thomas (a) ab illa omnis alia potestas derivetur.

200. Ex his omnibus (si audax Eibelius scire desiderat ¿*Quid sit Papa?*) Habet prorsus. = *Papa est Sacerdos magnus, Summus Pontifex, Princeps Episcoporum. Hæres Apostolorum, Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarcatu Abraham, Ordine Melchisedec, Dignitate Aarom, Auctoritate Moyses, Judicatu Samuel, Unctione Christus, Christus Domini, Deus Pharaonis.* -- Sic Bernardus (b) Sed non ad palatum hujus aliorumque Novatorum; quæ pestifera lues, si non exterminetur, et solium diluet, et altere quassabit.

201. SUPERNUS ILLE ECCLESÆ INSTITUTOR,

(qui tali potestate dotavit suum Vicarium ad animarum profectum) numquam destitit animas Sanctas in Ecclesia efformare et quia in via Dei alius sic, alius sic, ita nunc nos convertimur ad illas considerationes

side-

(a) In Secun. Sent. dist. ult. in expositione litt. (b) Lib. 2. de consider. ad Eug. cap. 6.

siderandas, quas *Via contemplationis* ad seipsum adducit.

202. Harum via (ut tam occulta, et insolita) magno magisterio indiget, ut diaboli insidiæ detegantur, qui multoties se transfigurat ex Angelo tenebrarum in Angelum lucis.

203. Hanc autem Provinciam ¿Quibus aliis commisit, quam illis, quos in Ecclesia sua possuit ad consummationem Sanctorum? ¿Hi autem qui alii, quam Ecclesiæ Pastores, Pastorumque Princeps?

204. Erubescant ergo illi, qui eorum regimen vituperant: á Deo nec vocati, nec electi ad tam arduum ministerium.

205. Ab hoc ausu nos continemus; tantumque quasdam nationes generales dabimus, quæ inservire possunt harum animarum directoribus.=

SIT IGITUR:

206. *Contemplatio est quædam divinorum cognitio, à Deo infusa, admirationem causas, voluntatem accendens, creaturamque in Deum quodammodo transformans.*

207. Miros secum adducit effectus: animam mirabiliter humiliat, à terrenis defæcat affectibus, ingensque desiderium pro Christo patiendi in ipsa producit.

208. Cum pura et sublimis est, animam cogit in illa verba Apostoli prorumpere: *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesuchristi .... Mihi vivere Christus est, et mori lucrum ... Quæ mihi fuerunt*

runt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta; et: omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.

209. Hæ sunt tesseræ, quas animarum directores aspiscere debent. Cum eas invenerint, tutó incedant; timeant autem ac repellant animas illas, quas viderint seipsas amantes, de se alté sentientes, auram popularem aucupantes, ac de omnibus, non in Domino, sed in seipsis gloriantes.

210. *Veræ* contemplationis varii sunt gradus; quos omnes Mystici Theologi ad hos duodecim reducunt scilicet.

Oracion de recogimiento, oracion de silencio espiritual, oracion de quietud, embriaguez Espiritual, sueño espiritual, ansias de amor, toques del alma, union mistica, y fruitiva de amor, union simple de amor, union estatica, rapto del ulma en Dios, union perfecta, estable, y quasi indisoluble del alma en Dios.

Horum omnium notionem dabimus *si* requissiti fuerimus.

211. Animarum hujus ultimi gradus contemplationis, tam ingens est amor Christi, tamque vehemens contemplatio; ut *quandoque in Dominum crucifixum transformentur, et anima, et corpore.*

212. ¡Gratia singularis, et quam etiam ipsis Angelis in admiratione esse credimus!

213. ¿Sed ob id incredibilis? ¿Ob id reprobanda? ¿Ob id ut illusio diabolica traducenda? Absit: Absit: ut terminos divinis miserationibus imponamus.

214.

214. Harum animarum vita interior scrutetur et si hujusmodi carismatibus respondeat; eas (tantum quia raras) contemnere ac sugillare imprudentia est.

215. Hujus contemplationis causa exterior est Divina voluntas, quæ hanc gratiam nullis meritis alligavit.

216. Unde Quietistarum error insanus est, omnes ad contemplationem introducere; imprudentiaque reprehensibilis, illorum Directorum facilitas, quæ quaslibes animas spirituales, vel in maturé, vel ad hanc gratiam non vocatas, ad contemplationem evéhunt.

217. Ipsorum partes tantum sunt: animas suæ curæ commissas sic disponere; ut sponsus Cælestis nihil pravum in earum cordibus reperiat. In reliquis autem Divinam voluntatem spectare Ductumque gratiæ pedetentim sequi.

218. Interiores autem causæ sunt: fidei lumen, donaque Spiritus Sancti, speciesque illæ infussæ, vel acquisitæ, sed Divino lumine mirabiliter collustratæ.

219. Sed si etiam species accquisitæ ad contemplationem deserviunt; ¿ qui error magis intolerabilis; quam spuriorum mysticorum, adorabilem Humanitatem Christi, Beatissimam Virginem Sanctosque omnes á contemplatione secludentium ?

220. Quicumque ad contemplationis quietem (ajebat D. Bonaventura) nisi per Christi lateris ostium voluerit introire; furem se reputet.

221. *Hæc est via, Hæc est veritas, Hæc est vita.*

222. *Nibil nos magis in divina rapit* (ait á D. (a) *quam*

(a) 2a. 2æ. q. 82. art. 3.

quam contemplatio Humanitatis Christi secundùm illud: ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per Hunc in invisibilium amorem rapiamur.

223. Sed videant cuncti, quam vehementer deploret S. M. N. Theresia, se aliquando in hunc errorem incidisse (b) En ejus verba.

,, *¡ O Señor del alma mia, y bien mio Jesus Crucificado! No me acuerdo jamas de esta opinion que tube que no sienta pena, y no me paresca haver hecho una grande traicion aunque por ignorancia. Habia sido yo por todo el tiempo de mi vida tan devota de Cristo; y despues acia el fin, esto es, poco antes que el Señor me hiciese estas gracias de raptos, y de visiones me deje engañar. Pero duro poco estar en esta opinion no pudiendo yo no volver à mi costumbre de consolarme con este Señor mayormente quando comulgaba. Hubiera querido yo tener siempre delante de los ojos su retrato, ya que no podia tenerlo esculpido en mi alma, como quisiera ¿ Es posible, Señor, que me viniese al pensamiento y que estubiese una hora, en que vos me hubieseis de impedir mi mayor bien ? ¿ De donde me vinieron à mi todos los bienes, sino de vos ? No quiero pensar, que en esto haya habido culpa por que me viene mucho qué llorar, ciertamente fue ignorantia, y asi quisisteis vos por vuestra bondad ponerme remedio, y con darme quien me sacase de este error, y despues con hacer que yo os viese tantas vezes como luego dirè, para que mas claramente reconociese quan grande fuese el dicho error, y que lo dixese*

(a) In vita sua cap. 22. pag. 246.

xese à muchas personas, como lo he hecho, y para que lo escriviese ahora aqui.

223. S. etiam Joannes à Cruce alter mysticorum Pater huic sententiæ consentiens, ita dicit (a) *Esto de olvidarse, y dexar las noticias, y las figuras, nunca se entiende de Christo, y su Humanidad. Que aunque alguna vez en lo subido de la contemplacion, y vista sencilla de la Divinidad no se acuerde el alma de està Santissima Humanidad; por que Dios levantò el espiritu de su mano á este. como confuso, y muy sobrenatural conocimiento; pero hacer estudio de olvidarla, en ninguna manera conviene; pues su vista, y meditacion amorosa ayudarà à todo lo bueno, y por ella se subirà mas facilmente à lo muy levantado de union. Y claro esta, que aunque otras cosas visibles, y corporales se hayan de olvidar, y estorben; no ha de entrar en este numero el que se hizo Hombre por nuestro remedio, El que es verdad, Puerta, Camino, y Guia para los bienes todos.* Ex quibus verbis videre licet, quam protervè sacrilegi Quietistæ *Patronum nostrum* in suæ dementiæ Patronum adscivere.

224. Integritas, puritasque vitæ Deo occasionem præstat, ut familiarius cum quibusdam agat, qui se totos Deo, dininiisque obsequis manciparunt.

225. ¿ *Num celare potero Abraham; quæ gesturus sum ?* ajebat Dominus. (b) *Non facit Dominus Deus verbum* (inquiebat Amos Propheta) (c) *nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.* Apostolos etiam Dominus affatus (d) hanc veritatem con-

 firmat

(a) Su bid. del Monte Carmelo Lib. 3. cap. 1. acia el fin. (b) Genes. cap. 18. (c) Amos Proph. cap. 8. (d) Joan. cap. 15.

firmat his verbis. *Vos autem dixi amicos; quia omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

226. Hinc visiones, revelationes, loquutiones divinas, quamvis sanctitas ipsa non sint; semper eas Ecclesia in viris probis aspexit, ut signa sanctitatis; Si enim gratiæ gratis datæ peccatoribus communicari possunt; regulariter solum Sanctis viris distribuuntur (ut auctor est D. Thomas. (a)

227. In nullo tamen alio ita diabolus ludificat mentes humanas, ut in isto rerum genere.

228. ¡Quid Montanum, quid Priscillam commemoremus; cum Quakeros, et Anabaptistas in nostris diebus videamus tam miserè dementatos!

229. Hinc magnum bonum mortalibus facesseret, qui notas aliquas directoribus indixiset, quibus (tamquam lydio lapide) vere à falsis discernantur.

230. Securiores nullæ aliæ, (nostra quidem sententia) quam illæ quas nobis proponit prudentissimus juxta, atque Sapientissimus Benedictus quartus decimus. (b)

231. Aurea est doctrina Gersonis (c) dicentis. Hoc est primum, et precipuum signum, inter signa nostræ monetæ spiritualis discretivum = Monitiones omnes intrinsicæ, omnes instinctus vehementes, omnis revelatio, omne miraculum, omnis amor extaticus, omnis contemplatio, omnis raptus, omnis denique nostra interior, exteriorque operatio; *si humilitas præcedat, comitetur, et sequatur; si nihil eam perimens misceatur* (crede mihi) signum habent, quod à Deo sunt, aut bono ejus Angelo; nec falleris.

232.

(a) 2a. 2æ. q. 172. art. 4. (b) Tom. 3. sui inmort. operis de Canonis. Sanct. - Ex Gerson Romana rota ac Div. Greg. Mag. (c) Trac. de dist. visio.

232. Quod autem hujusmodi visiones, et revelationes à Spiritu Sancto processerunt (ajebat amplissimus Senatus Romanæ Rotæ in causa S. Matris Theresiæ) (a) facilè nobis persuasum fuit ex sanctitatæ excelente, et virtutibus heroycis hujus Beatæ Virginis: et ab effectibus resultantibus ex isdem visionibus, et revelationibus; nimirum: *Humilitas profunda, incrementum amoris Dei, utilitas, et ædificatio proximorum.*

233. ¿ Sed quid amplius desiderare possumus in confirmationem hujus veritatis, quam quod D. Gregorius Magnus docet ? (b) *Mèns, quæ divino Spiritu impletur (ait S. D.) habet evidentissima signa sua: virtutes scilicet, et humilitatem; quæ si utraque in unam mentem conveniant, liquet, quod de præsentia Sancti Spiritus testimonium ferunt.*

234. Quia vero, ut ait Hieronimus, multi sunt, qui humilitatis umbram sectantur, pauci autem, qui veram humilitatem assequuntur; tessera tutissima ad veram humilitatem dignoscendam est cæca, devota, hilarisque obedientia, teste S. Ignatio, Myscitisque Magistris naris emunctæ.

Sic autem finem nostris Assertionibus imponimus. Quas omnes in gloriam Omnipotentis Dei, Divini Ecclesiæ Fundatoris; Sanctissimæ Deiparæ, Præcelsi Joseph, hujus fortunati Sponsi; Apostolorum Principis, Sanct. P. N. Dominici, Almificique N. A. Præceptoris dicamus, offerimus, consecramus.

Omnes Sanctæ Sedis Romanæ correctioni ex intimis præcordiis subjiciendo; utpote á Christo Domino nobis datæ pro vera Matre, atque Magistra.

(a) Art. 21. (b) Lib. 1. Dialog. cap. 2.

212. Quod autem hujusmodi visiones, et revelationes a Spiritu Sancto provenerint (ut probat amplissimus Senatus Romanae Rotae in causa S. Matris Theresiae) (a) facile nobis persuademus, tum ex sanctitate excellenti, et virtutibus heroycis hujus Beatae Virginis, et ab effectibus resultantibus ex illis visionibus, et revelationibus; nimirum: *Humilitate profunda, incrementum amoris Dei, utilitate, et aedificatione proximorum.*

213. ¿Sed quid amplius desiderare possumus in confirmationem hujus veritatis, quam quod D. Gregorius Magnus docet? (b) *Mens, quae divino Spiritu rapitur* (ait S. D.) *habet evidentissima signa sua: virtutes scilicet, et humilitatem, quae si utraque in unam mentem conveniant, liquet, quod de praesentia Sancti Spiritus testimonium ferunt.*

214. Quia vero, ut ait Hieronimus, multi sunt, qui humilitatis umbram sectantur, pauci autem, qui veram humilitatem assequuntur; tessera certissima ad veram humilitatem dignoscendam est caeca, et volabilisque obedientia, teste S. Ignatio, Mysticisque Magistris inde enunciata.

Sic autem finem nostris Assertionibus imponimus, Quas omnes in gloriam Omnipotentis Dei, Divinae Ecclesiae Fundatoris; Sanctissimae Deiparae, Praecelsae Josephi hujus Fortunati Sponsi; Apostolorum Principis, Sanct. P. N. Dominici, Almaeque N. A. Praeceptoris dicamus, offerimus, consecramus.

Omnes Sanctae Sedis Romanae correctioni ex intimis praecordiis subjicientes; utpote a Christo Domino nobis datae pro vera Matre, atque Magistra.

(a) Art. 21. (b) Lib. 1. Dialog. cap. 2.

ERRATA SIC CORRIGE

In Oratione

1. Plana	lin. 2.	ex templo	lege	extemplo.
	lin. 3.	Mnemvosinon	lege	Mnemosynon.
	lin. 12.	zelo typus	lege	zelotypus.
	lin. 13.	tribus	lege	Tribus.
2. Plan.	lin. 24.	Febraniana	lege	Febroniana.
5. Plan.	lin. 13.	et reconciliaret	lege	et ut reconciliaret.
	lin. 17.	imagini	lege	imaginis.
6. Plan.	lin. 23.	videvatur	lege	videbatur.
7. Plan.	lin. 7.	habes	lege	habeo.

in Conclusionibus.

Concl. 6.	lin. 3.	domunmum.	leg.	Dominum.
10.	lin. 1.	Nan.	leg.	Non.
29.	lin. 3.	quid.	leg.	quia.
32.	lin. 3.	electione.	leg.	electionem.
42.	lin. 3.	Moris.	leg.	Mores.
52.	lin. 4.	pendem.	leg.	pedem.
id.	lin. 12.	celus.	leg.	zelus.
54.	lin. 2.	rustisitate	leg.	rusticitati.
58.	lin. 2.	lavavit.	leg.	laxavit.
87.	lin. 4.	jam senistarum	leg.	Jansenistarum.
89.	lin. 5.	edificaverit.	leg.	ædificavit.
91.	lin. 2.	Pontifice.	leg.	Pontifici.
94.	lin. 3.	extracserit.	leg.	extraxerit.
id.	lin. 5.	defentionis.	leg.	defensionis.
110.	lin. 1.	amori.	leg.	amore.
131.	lin. 3.	quid.	leg.	qui.
135.	lin. 3.	hæresios	leg.	hæreseos.
id.	lin. 4.	oppositæ sententiæ	leg.	opposita sententia.
140.	lin. 3.	cræderent	leg.	crèderent.
183.	lin. 2.	Moyses.	leg.	Moysis.
191.	lin. 2.	ediscerat.	leg.	edisserat.
195.	lin. 5.	abussant.	leg.	abussam.
197.	lin. 5.	Diei.	leg.	Dei.
200.	lin. 11.	altere.	leg.	Altàre.
209.	lin. 2.	aspiscere.	leg.	aspicere.
210.	lin. 8.	estatica	leg.	extatica.
222.	lin. 1.	ait à. D.	leg.	ait A. D.
223.	lin. 22.	ignorantia	leg.	ignorancia.
237.	lin. 7.	præcelsus.	leg.	præcelsi.
id.	lin. 9.	Præceptori.	leg.	Præceptoris.